

Abulens. nulla fiebat mutatio in forma, ac figura; & ideo tunc non dicitur transfigurari, ut notat Abulensis quæst. 29. maxime verò in hoc mysterio peracto in monte Thabor, ubi mira charitate Christi species resplenduit; ac radiavit. Circa quam claritatem quatuor quæro. Primum: Quid esset? Secundò: A quo emanabat? Tertio: In quo subieciatur? Quartò: Quos effectus ediderit?

47. Primum. Caritas, in hoc mysterio apparet, non proveniebat ab ipsa natura divina clarè visa, sicut in Beatitudine se præbet Beatiss. Nam Divinitas oculis corporeis per nullam potentiam videri potest, ut communiter tenent Theologi. Dicendum est ergo, quòd caritas illa visa in corpore Christi in Transfiguratione, esset eiusdem speciei cum claritate corporum beatorum, ut docet D. Augustinus lib. contra Adomantium Manichæum cap. 28. & apertè supponit lib. 22. de civitate Dei cap. 19. sequuntur Suarius tom. 2. ad 3. part. disp. 32. sect. 1. §. Secundò, & §. Sed possunt. Ægydius. Lufitanus tom. 3. de Beat. lib. 5. q. 4. art. 7. & ultimo n. 1. & 2. Probatur. Quia Christus Dominus dixit suis Discipulis Matthæi 16. in fine. *Sunt de his stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Alij legunt, *Venientem in gloria Patris sui*, ut dixi in fine superioris cap. ubi multis Patribus quæst. 13. prædictum locum exposui de claritate visa in Transfiguratione. Ergo erat eiusdem speciei cum illa, quæ est in gloria Patris in corporibus Beatorum. Ad hanc autem claritatem intuemdam, utpote supernaturalem, de quo infra in hac quæst. confortati sunt Apostolorum oculi, ut docent citatus Augustinus, & D. Thomas in 4. d. 44. q. 1. art. 4. q. 2.

48. Secundò. A quo hæc claritas emanabat in corpore Christi: Ab ipsa anima, scilicet, utpote beata, ac hypostaticè Deo vnita. Hæc ergo gloria erat debita corpori Christi duplici titulo, scilicet Vnionis Hypostaticæ, & beatitudinis animæ, tertio etiam titulo meriti eam obtinuit per mortem, & labores Luc. 24. n. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Cum autem gloria corporis veluti naturaliter emanaret ab anima beata, & vnita, tanquam quoddam miraculum extitit, quòd esset repressa pro mysterio nostræ salutis. In Transfiguratione autem, dum gloria illa diffunditur in corpus, fuit cessatio repressiois, ac miraculi. Si autem D. Damascenus Orat. de Transfigur. D. Epiphanius hæresi 69. D. Nazianzenus Orat. 49. & D. Anselmus in Elucidario dicunt, corpus Christi semper habuisse gloriam, in via tamen absconditam Apostolis, & hominibus: loquuntur de Vnionis Hypostatica, quæ est fons, & origo gloriæ, & claritatis.

49. Tertio. Hic splendor non est subiectus in aere, nec in oculis Apostolorum, ut aliqui dixerunt, nec in sola Christi facie, ut tenent Abulensis, quæst. 47. & Toletus in cap. 9. Luc. annot. 18. Salmeron, & alij, qui astruunt, solam Christi faciem resplenduisse. Huiusmodi ergo fulgor faciei, manibus, pedibus, & toti corpori Christi inhæsit. Hanc sententiam apertè docet D. Ephrem Orat. de Transfigur. *Facta sunt*, inquit, *vestimenta eius alba, etenim ostendit Evangelista, quòd ex toto eius corpore eius gloria scaturit: & tota eius carne resplenduit eius facies, & ex totis eius membris resplenderunt radij, &c.* Et iterum. *Christus toto suo tempore tanquam Sol suis radiis resplenduit*

gloria sua Divinitatis. Idem docent D. Hieronymus Epist. 61. ad Pammachium, D. Augustinus lib. 22. de civitate Dei cap. 9. Origenes in cap. 9. Luc. D. Ambrosius in symbolo cap. 22. Suarius citato loco. Barradius, Cornelius, & alij Ratio est. Quia Christi Transfiguratio fuit perfecta, & plena: ergo totum eius corpus nitore resplenduit. Cum autem D. Matthæus, & D. Marcus solum faciem commemorant, sub facie, tanquam parte principali ori, ac magis spectabili, cætera membra intelligunt, & ob multas rationes dandas quæst.

50. Aliqui autem, Claritatem hanc totum corpus Christi penetrasse, illudque fecisse perlucens, ac perspicuum, acsi esset Chrystallus, aut aliud simile corpus. Contrarium docet D. Thomas 3. part. q. 45. art. 1. ad 2. Nam Transfiguratio, id est figuræ mutatio; immutatio autem figuræ fit in superficie exteriori, seu in termino, ut ait D. Thomas.

51. Quartò. Effectus huius splendoris explicat Evangelista. *Resplenduit facies eius sicut Sol.* Lux illa in facie, ac corpore Christi multo augustior, ac magnificentior, quam Sol, erat, nam ille fulgor supernaturalis erat, ut docet D. Thomas in 3. d. 16. quæst. 2. art. 1. ad 4. Durandus ibidem quæst. 2. Scotus in 4. disp. 49. quæst. 15. Richardus ibidem art. 4. quæst. 6. Scotus ibidem quæst. 4. art. 8. Suarius citata disp. 32. sect. 1. §. sed possunt Ratio est. Quia illa claritas proveniebat à principio, ac radice supernaturali, à beatitudine nempe animæ, ac ab Vnionis hypostatica. Ergo ipsa supernaturalis erat. Cum autem Evangelista ait, quòd resplenduit facies eius ut Sol; ex eo hoc est, ut notant Interlinealis, Beda, D. Anselmus, & alij; quia in sensibilibus nil est clarius, ac lucidius Sole. Scriptura solet per sensibilia nos ad alta, & sublimia ducere.

Facies autem sic mirificè resplenduit, ut nec vultus essentia, nec forma, nec figura, nec lineamenta, nec color, nec alia qualitates immutatae sint, quæ omnia valde nota erant Discipulis; ex quibus Christum etiam transfiguratum optimè agnouerunt. Tertullianus lib. de Resurrectione carnis. *Dominus, ait, in secessu montis vestimenta lucè mutaverat, sed lineamenta agnoscibilia Perro servauerat.* Theophylactus, in cap. 9. Marc. *Manente caractere, qualis prius ineffabilis lucis factum sit augmentum.* Idem etiam habent Victor Antiochenus in Marcum, & Euthymius in Matth. Cum D. Lucas scribit, *Facta est species vultus eius altera, id est fulgens, & resplendens.*

Alter eius lucis effectus describitur ab Evangelista in vestibus. *Et vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.* Abulensis quæst. 42. & Salmeyron existimant, albedinem inditam fuisse vestibus Christi; ac proinde si prius vestes Christi erant nigrae, vel violaceæ; in Transfiguratione factæ sunt albæ: & si prius erant albæ, ut vult Abulensis, factæ sunt albiore: peracta verò Transfiguratione, ad suum pristinum colorem redierunt.

Dicendum tamen est cum Tertulliano lib. 4. contra Marcion. cap. 22. ac S. Augustino, seu Auftore, quisquis ille sit, lib. 3. de Mirabilibus Sacrae Scripturae cap. 10. S. Ephrem citato; D. Paschasio lib. 8. in Matth. Albertus Magnus, in cap. 9. Marc. & Luc. & Euthymio, Glossa, Caietano, Luca Burgenfi, & aliis, Huiusmodi candorem emanasse à corpore Christi in vestes. Nam ipse splendor radiabat in facie Christi velut Sol aureus, &

Hieron. Aug. Origenes Ambros. Suar. Barrad. Cornelius. Totum corpus Christi resplendebat.

D. Thom. 3. part. q. 45. art. 1. ad 2.

D. Thom. Durand. Scotus Richard. Scotus. Suarius. Splendor supernaturalis.

Interlin. Beda. Anselm.

Tertullian.

Theophyl. Viç. Antioç. Euthym.

Abulens. Salmeyron.

Abulens.

Terrull. Aug. Ephrem. Paschas. Alb. Magn. Euthym. Gloss. Caietan. Burgenf.

& fulvus, transfusus verò in vestes factus est albus, sicut lux solis, dum diffunditur à sole, apparet aurea, & fulva, at verò visa in re altera exipiente, à Sole diversa, sensibus alba apparet. Sic Luna, cum exceptis radiis Solis illuminatur, alba videtur. Sicque nubes Soli obiectæ, colorem album, ac lacteum reddunt: ingens enim fulgor, si per medium obscurum, utpote vestes, percipitur, non rutilans splendor, sed albicans candor apparet; nam obiecti intermedij corporis interuentu aliquantulum radij eius franguntur, ac debilitantur.

Quomodo vestimenta alba.

Abulens.

Christus propensior in nostrum commotum, quam in gloriam suam.

Matth. 16.

Christus non suffert quod mors illi indecens reputetur.

47.

Premio proposito animantur Discipuli à Christo.

QUESTIO VI.

Quare Christus transfigurari voluit.

QUANTUM non defuerint aliqui, quos tacito nomine citat Abulensis quæst. 25. qui dixerunt, quòd sicut Christus Dominus ad ostensionem suæ potentia sæpe multa miracula faciebat, verbi gratia, mortuos suscitare, oculos cæcis restituere, sic etiam sæpe ad ostensionem suæ potentia fuisse transfiguratum. Sed cum Scriptura solum de vna Transfiguratione faciat mentionem, semel tantum fuisse transfiguratum, dicimus. Et hoc sufficiebat in testimonium suæ maiestatis. Ad obiectionem, Respondemus. Quòd Transfiguratio facta est in signum potentia, & maiestatis Christi: miracula autem perpetrata sunt, non solum ad ostensionem potentia, verum etiam in commodum, ac utilitatem populi, ut à suis miseris subleuaretur. Clementissimus autem Iesus ea, quæ ad ostensionem gloriæ, suæque maiestatis spectabant, vno actu adimplet, & semel tantum ea ex altis motibus edidit; quæ verò ad utilitatem populi conducebant, ex sua intima pietate sæpe, ac multiplicatis vicibus est operatus.

Ad quæstionem Respondeo multiplici ratione deducta ex superiori cap. 26. Nam, ut ibi referunt, num. 16. Petrus confessus est Christi Divinitatem, dicens: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Transfiguratur ergo Christus, ut hanc confessionem confirmaret, seque Dei filium magnifico illo splendore indicaret, ac manifestaret. Secundò. Petro, Christum filium Dei confitenti, dixit Dominus: *Caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in caelis.* Ad confirmandum ergo quòd, cognoscere eum filium Dei, ex afflatu Patris venit, transfiguratur ostensa sua gloria, in qua auditur vox de nube, dicens: *Hic est filius meus dilectus.* Tertio Christo de sua morte pertractanti ait Petrus: *ex nimio amore: Absit à te, Domine, non erit tibi hoc;* ibidem num. 22. tanquam quòd moti, ac crucifigi ei esset indecens. Transfiguratur ergo Iesus habitu glorioso regio, ibique cum Moyse, & Elia de sua morte, ac passione disserit, ut appareat evidens, quòd ei pro hominibus mori, non est indecens, sed maxime conueniens, hocque valde beneplacitum suis intimis familiaribus, ac Prophetis.

Quartò quia superiori cap. 16. num. 24. inuitat ad abnegationem propriam, ac ad tollendam crucem, & adiecit Dominus: *Qui perdidit animam suam propter me, inueniet eam.* Ad animandos ergo homines ad dura, & aspera subeunda. Transfiguratur, ut ex visa gloria certò sciant, maiora bona esse recipienda, quam extiterint mala, quæ

prætulert. Quintò. Ibidem num. 27. dixerat: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, & tunc reddet unicuique secundum opera sua.* Transfiguratur, ut ostendat Discipulis, in qua gloria venturus est, ut que etiam suis Discipulis manifestet, quale præmium electis suis est redditurus: cognitione enim præmij maxime animantur homines ad dura, & aspera sustinenda. Sextò. Dixerat Christus ibidem num. 28. *Sunt de his stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Quòd de Transfiguratione intelligitur à multis Patribus, ut dixi superiori cap. quæst. 13. Promissum adimplet Dominus, ostendens in Transfiguratione gloriam suam. Qui promissum cito soluit, nouum beneficium confert.

Beneficium cito datum, magnum.

58. Manifestas Christus suam potentiam.

59. Leo.

Christus corroborat Discipulorum fidem, ne in periculo fluctent.

60. Abulens.

Auctoritas persona multum facit, ut eius dicta, & facta astringantur.

Math. 3.

61. Ephrem.

Septimò. Transfiguratur Christus, ut excellentiam suæ potentia ostendat. Ipse enim sponte, propt volebat, gloriam corporis repimebat pro operanda humani generis salute, & etiam sponte, propt volebat, animæ gloria in corpus redundabat. Eximie etiam declaratur ipsa potentia ex præsentia Prophetarum Moyse, & Elia; nemo enim poterat eos illuc adducere, nisi solus Deus. Fiebat etiam ostentatio, quòd sponte contumeliam crucis, & mortis subibat, ut clare patebat ex colloquio ipsius Christi cum Moyse, & Elia.

Octauò. D. Leo serm. de Transfigur. *Transfiguratur, inquit, ut de cordibus Discipulorum crucis scandalum tolleretur, ne conturbaret eorum fidem voluntaria humilitas passionis, quibus reuelata esset abscondita excellentia dignitatis.* Sua transfiguratione præmuniuit Christus Dominus suos Discipulos, ne eorum fides in suæ passionis tempestate fluctuaret, sed ut agnoscere suam eximiam maiestatem, quam in gloria viderant, illius eximias amoris diuitias venerarentur; nam cum tanta poleretur, pro eorum salute humilitatem crucis non reiecit, sed libenter amplectitur.

Nondò. Abulensis quæst. 22. *Transfiguratur, ait, ad maiorem auctoritatem dandam verbis, ac gestis eius, nam cum isti Discipuli viderent eum transfiguratum ad imaginem gloriæ, venerarentur eum magis de cætero, tanquam esset in eo aliquid maius, quam prius crederant.* Et ideo hic vox Patris audita est: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* Christi gloria hic Discipulis ostenditur, ut maxime recolerent Christi personam, dicta, & facta. Multum enim facit personæ auctoritas, ut eius verba, ac opera in multa æstimatione habeantur. Hinc intelliges, cur cum Iordane Christus baptizatur, ac in Thabor transfiguratur, & in vitroque loco vox Patris resonat: *Hic est filius meus dilectus: in Thabor, & non in Iordane additur, ipsum audite.* In Iordane aderat Dominus tanquam subditus, & obediens, dicens Ioanni: *Sic decet nos implere omnem iustitiam.* Matth. 3. num. 15. At in Thabor apparebat in gloria, tunc ei datur purpura, & cathedra, ut imperet, & doceat, *ipsum audite.* Ut ex ostensa gloria, ac maiestate multum auctoritatis, & reuerentiæ ei reconcilietur.

Decimò. D. Ephrem orat. de Transfigur. *Duxit Discipulos in montem, & gloriam Divinitatis sua ipsis ante Resurrectionem suam ostendit, ut quando à mortuis in gloriam naturæ suæ divinæ resurrexerit, sciant, ipsam non accepisse quasi mercedem laboris sui, gloriam, ut qui illa indigeret, sed eam ab æterno illum habuisse cum Patre.* Cur Christus Dominus qui venit in mundum in humili habitu, qui & permittebat, ut facies sua esset cæca, corpulque flagellis vulneratum, ac tandem morte affectum, pallidum,

pallidum, & obscurum cadauer, ad quid modo in Transfiguratione vult tanta gloria, ac nitore resplendescere? Intendebat Dominus, vt cum deuicta morte rediuis in illa gloria, ac maiestate a suis Discipulis videretur, nullus eam recogitaret, vt denuo arte, vel ope partam, sed scirent cuncti, a principio illi esse congenitam, ac innatam: non enim erat huiusmodi maiestas denuo accepta, sed antiquitus cum Patre, & ex Patre habita. Maxime nobilitat hominem, quod decor, ac honor non sit ei denuo additus, vel acquisitus, sed ex longa annorum serie adnatus.

62. Genes. 49.

Benedicens Iacob filium suum Iudam dicit ei: *Catulus leonis Iuda, ad predam filii mi, ascendisti, requiescens accubisti, vt leo.* Genes. 49. num. 9. Multa magna, & praeclara praedicat Patriarcha Iuda. Quod ipse nempe sceptrum, & regnum tenebit. Ad hoc tamen non sat erat dicere eum leonem, qui fortitudine, ac generositate regalem principatum inter caetera animantia obtinet? Ad quid eum dicit catulum leonis, filium leonis? Ad eximium decorem Iudae veluti non sat erat, quod virtutem, robur, animositatem tanquam leo haberet, sed etiam vt filius leonis, qui huiusmodi animi dotes, non vt aduentitias, sed veluti a parentibus transfusas, ac hausas vendicat. Cassiodorus lib. 2. variat. cap. 2. de Optimo Principe ait: *Currat quinimo honorum gratia per parentes.*

Cassiodorus.

63. Luc. 1. Beda.

De parentibus Ioannis Baptistae scribit D. Lucas 1. num. 6. *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, ac iustificationibus Domini sine querela.* Quae verba commentans Beda inquit: *Iustus autem parentibus Ioannes est genitus, vt eo confidentius iustitia praecepta populus daret, quo hac ipsa non quasi nouitia didicisse, sed velut hereditario iure a progenitoribus accepta seruetur. Vnde sequitur, Erant iusti ambo, apud Deum.* Ad quid tam sollicito tractaturus Euangelista de Ioanne Baptista, statim in limine virtutes parentum eius commemorat? Ordinabat Euangelista describere Ioannis praedicationem omni populo: *Venit in omnem ripam Iordanis praedicans baptismum poenitentiae.* Luc. 3. n. 3. Scribit ergo Euangelista parentum virtutes, vt doctrinae documenta, ac praeclara virtutum monumenta, quibus Ioannes radiabat in vita, eo sanctiora, ac augustiora viderentur, quo erant antiquiora, cum ipsa admirabilis viuendi virtus, non fuerit in eo nouitia, sed peruestura, a parentibus accepta: quod est magnum nobilitatis elogium. *Quo hac ipsa, non quasi nouitia didicisse, sed velut hereditario iure a progenitoribus accepta seruetur.* Magnopere conducebat, vt Ioannes haberet multam fiduciam in docendo, & populus magnam reuerentiam, ac Ioannes estimationem in audiendo.

64. Iudic. 13.

Matri Sanfonis apparet Angelus dicens: *Cane, ne bibas vinum, ac scieram, nec immundum quidquam comedas: quia concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula, erit enim Nazareus Dei ab infantia sua, & ex matris utero.* Iudic. 13. n. 4. Obseruantia rerum, quae in filio futura erat, ad quid praerequiratur in matre? quod filius a vino, & sicera, ac immundo abstineret, cum inter Nazareos esset abscribendus, maxime se res habet: sed ad quid hoc mandatur matri? & vt vult Abulensis citandus, vsque ad ablationem pueri? Abulensis quaest. 10. *Voluit, inquit, ad reuerentiam pueri nascituri matrem esse mundam, & obseruare omnia haec, quae pertinebant ad quandam excellentiam munditiae.* Destinabat Deus Sanfonem in

Abulens.

magnum gubernatorem, ducem, ac liberatorem sui populi: decreuit ergo, vt religionis obseruantia, non solum reperiretur in puero; sed etiam vt praecederet in matre, vt ex tam perantiqua, ac innata religione ipsa Sanfonis virtus maior, ac venerabilior cunctis appareret.

Venerabilior est virtus, si a parentibus accepta.

QUESTIO VII.

Quare dicitur, quod Christus transfiguratus est, & non potius, quod ipse transfigurauerit?

GLORIA debita erat corpori Christi Domini tam ratione vnionis hypostaticae, quam ratione beatitudinis animae: & huiusmodi gloria in corpus naturaliter erat transfundenda, nisi miraculose esset a Deo impedita. Querimus ergo, cur dicitur, quod transfiguratus est Christus, & non potius, quod ipse se transfigurauerit?

65.

Respondeo primò. Rectè dicitur, quod Christus transfiguratus est. Ex alta enim ordinatione Patris, ad cuius beneplacitum Christus omnia sua disponebat, data est ei in Transfiguratione gloria, & honor. Gloria, vt resplenderet facies eius sicut Sol, & vestimenta, vt essent alba tanquam nix; quae gloria ei est elargita, quasi primitiae, ac specimen Resurrectionis, ac gloriae aeternae. Honor datus est ei, cum vox Patris intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, ipsum audite.* Dum ait, *ipsum audite*, eum constituit legislatorem, principem, ac doctorem, cui omnes obedire tenentur. In hoc sensu loquitur ad Hebraeos. 5. num. 5. *Christus non semet ipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: filius meus est tu, ego hodie genui te.* Quae verba sic explanat ibi D. Anselmus. *Non semetipsum quasi decreuit a caeteris clarificauit, id est clarum fecit, sublimando in honorem Pontificatus, sed Pater eum clarificauit, vt Pontificem constitueret, & totius mundi magistrum ostenderet, quando dixit. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, ipsum audite.* Ad hunc sensum loquitur D. Petrus 2. cap. 1. num. 17. *Accipiens enim a Patre honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum huiusmodi a magnifica gloria. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit.* Accipit enim gloriam in splendore vultus, & vestium; honorem verò in voce Patris ad ipsam delapsa.

66.

Christus non sumit sibi honorem pontificis, ac doctorem.

Hebraeos. 5.

Anselm.

Christus non procurabat sibi honores.

1. Petri 1.

67.

Secundò. D. Antonius Vlyssipponensis serm. 2. in 2. Dom. *Quadrages. Transfiguratus est ante eos: sic inquit: In hoc notatur humilitas; sed Angelus Satanae per superbiam transfiguratur in Angelum lucis.* 2. Corinch. 11. num. 14. *Ipse enim Satanas transfiguratur se in Angelum lucis.* Christi humilitas, quamuis ex se habeat lucem; non tamen transfiguratur se, sed transfiguratur. At Satanas cum non habeat, fulgur per superbiam sibi arripit. Sicut enim proprium est filij, habere ex se lucem, & tamen non nisi prout ei est datum a Patre, nitere; sic etiam valde ingenitum Satanae, cum careat splendore, velle lucere, ac radiare. Expende verba Pauli: *Ipse enim Satanas; nullus enim alius hoc potest affectare, ac facere, nisi ipse Satanas.*

Anton. Vlyf.

1. Corinch. 11.

Satanas per superbiam sibi dignitates arripit.

68.

Terriò. Dicitur, quod transfiguratus est, & non quod se transfigurauerit, vt fiat euidens, quod trans

Christus non sumit sibi honorem, sed ei deservit.

Marc. 16.

Transfigurationis honores ipse sibi non affectabat, nec procurabat; sed quod tales splendores ob eius excelsa merita ipsum exquirebant, ad eumque contulabant. De Christo Domino scribit D. Marcus: *Assumptus est in caelum.* Marc. ultimo n. 19. Cur Euangelista non ait, Assumpsit se Iesus; ipse enim propria virtute ascendit. Cur ergo dicitur, Assumptus est? Vt ut Euangelista hac dicendi methodo, vt manifestum sit vniuersis, quod ipse Iesus non sibi assumpsit gloriam, sed quod ipsa gloriae maiestas, ob eius excelsa merita, eum quaerit, atque ad se assumit.

QUESTIO VIII.

Quare signanter dicitur, quod facies eius resplenduerit?

69.

NON solum ait Euangelista, quod facies resplenduit, sed dicitur, facies eius. Quia resplendore facies non est immutata, sed secundum sua lineamenta eadem, ac vt antea erat, permansit. Euthymius. *Transformatus est, inquit, corpore quidem in propria figura manente, diuino autem splendore modicum quiddam in eo detegente, ac faciem eius illustrante, speciemq, illius ad maiorem Dei similitudinem immutante.* Idem docent D. Hieronymus, D. Paschasius, S. Thomas, & alij, vt latius explicauimus quaest. 5.

Euthym.

Hieronym. Paschal. D. Thomas.

70. Gillibertus.

Secundò Gillibertus Abbas serm. 15. in Cantic. *Altera facta est corporalis Domini species, cum oraret, & voluit per hoc in mente tua orationis commendare virtutem, quod illa sit, quae te in intimis alterum faciat, & nouum commutet in hominem.* Nos, inquit Apostolus, *reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur.* 2. Corinth. 3. num. 18. hoc est in eandem, quam intuemur, transformamur. Afferit D. Lucas, quod, cum Dominus oraret, facta est species vultus eius altera, altera non secundum effigiem; sed secundum splendorem. Perpende Orationis vim, quae nos facit in alteros commutari; cum enim per orationem, ac contemplationem in mente Deum tenemus, ipsum speculantes, in Dei imaginem transformamur. Paulus 1. Corinth. 6. num. 16. *Qui autem adheret Deo, vnus spiritus est.*

1. Corinth. 3. Per orationem homo in Dei imaginem transformatur.

1. Corint. 6.

71.

Terriò resplenduit facies eius. Manifestum est, quod cum Christus Iesus transfiguraretur, facies eius resplenduerit: ad quid hoc exprimit Euangelista? Vt fieret euidens, quod quamuis Dominus Iesus appareret in gloria, ac maiestate; tamen ipse non est mutatus, sed eandem vultus faciem retinuit, ac antea habebat.

Christus pro gloria suam non mutat. Ioan. 20.

72.

Cum gaudentes Discipuli annuiciasent Thoma, quod Dominum a mortuis gloriose rediuuum vidissent, ille dicit: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Ioan. 20. num. 25. Meritò dubitatur: Quisnam, o Thoma, tibi indicauit, quod Dominus in suo corpore glorioso clauorum, ac lanceae signa reportabat? Quamuis communiter dicatur, quod ex relatu Discipulorum hoc accepit; tamen non incongruè dici potest. Optimè sciebat Thomas naturam, ac ingenium sui diuini Magistri, nimirum quod pro varietate status minimè sui conditionem, ac figuram mutabat. Ille enim in corpore mortali, ac passibili admittit vulnere

Mutato statu Christus non mutatur.

caracteres: ergo & hos in ipso corpore, gloria splendente, non dimisit, sed aperitissimè retinuit. Fauet D. Augustinus serm. 156. de tempore. *Sciebat enim, ait, clavis in Cruce confixum, sciebat lancea latus percussum, haec signa quarebat.* Illa vulnerum vestigia, quae agnouerat in cruce Dominum sustinuisse, eadem ipsa in corpore iam impassibili, ac beatitudine nitente exquirebat, pro certo habens, Dominum pro splendenti maiestate minime immutari.

August.

73.

Ipsa resurrectionis die, duobus Discipulis in Emmaus apparet Dominus in peregrini habitu. Quod narrans D. Lucas cap. 24. num. 15. ait: *Et ipse Iesus appropinquans ibat cum illis.* Non sat erat dicere, Iesus ibat cum illis? ad quid ulterius additur ipse? Vt liquidò vniuersis fieret euidens, quod quamuis iam esset in sublimitate Resurrectionis gloriae, non tamen mutatus, sed ipse idem omnino extabat, ac antea erat.

Luc. 24. Idem ipse Iesus in gloria, ac passione.

QUESTIO IX.

Quare dicitur, quod resplenduerit facies eius sicut Sol, & non potius super Solem?

EXPLICANS Euangelista Christi Transfigurationem astruit, quod resplenduit facies eius sicut Sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix. In limine huius quaestionis dubitari potest: Cur prius de facie, & postea de vestitu facit mentionem? De illa muliere; quae apparuit in Apocalypsi 12. num. 1. ait D. Ioannes: *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Prius vestitus, ac calceatus exprimitur, & postea capitis ornamentum. In Transfiguratione autem prius de vultu, & postea de veste Christi agitur. Pertractans Isaias cap. 53. num. 2. de passione Christi, inquit: *Vidimus eum, & non erat aspectus.* Postea verò cap. 63. n. 2. de eius vestimento disserit: *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum, & vestimenta tua sicut calcamentum in torculari?* Cum ergo de gloria Christi venisset sermo; merito facies, quae prior eclypsim passa est, suumque decorem, ac pulchritudinem prior amisit, ipsa prior splendore irradiet, & fulgeat. Qui enim prior est in labore, ac angustia sustinenda, primum etiam obtineat locum, vt praemio nobilitetur.

74.

Apocal. 12.

Isaias 53. Isaias 63.

Prior in labore, in re quiete prior.

75.

Anton. Vlyf.

76.

Ad nostram quaestionem: Quare dicitur, quod facies Christi resplenduit vt Sol, cum splendor vultus Saluatoris, vt notat D. Antonius Vlyssipponensis serm. in 2. Domini. Quadrages. fuerit alterius rationis, ac ordinis a splendore Solis: nam fulgor vultus Christi supernaturalis erat, proueniens a beatitudine animae, quae est supernaturalis, vt latius explicant quaest. 5. ac proinde huiusmodi splendor Solis lucem superabat.

Remigius. Interlin. D. Thom. Anselm. Anton. Vlyf. Abulens.

Apocal. 1.

Respondent primò ad quaestionem D. Remigius, Glossa Interlinealis, D. Thomas, D. Anselmus, D. Antonius citatus, Abulensis quaest. 40. *Quod splendor vultus Christi excellentior erat Solis luce, quia in his sensibilibus non est quod elarius, ac lucidius, cui posset comparari; ideo Soli comparatur, vt per hoc palpabile exemplum splendoris Christi magnitudinem inuestigare yeamus.* Qua etiam phrasi vsus est Ioannes Apoc. 1. num. 16. *Et facies eius sicut Sol lucet in virtute sua.* Dicitur Sicut Sol, non sicut Luna, tum quia lux